

illum habet ad effectum vel formam procedere. Igitur in hoc differt potentia obedientialis ab aliis, quod potentia obedientialis non respicit immediate aliquem actum, sed mediante obedientia ad superius agens, respicit id, ad quod ipsum agens vult deducere creaturam; in potentia enim obedientiali includitur et respectus ad id, cui est obediens et subjecta, et respectus ad id, quod exequitur ex tali obedientia.

CDLXXIV. Ex his autem respectibus, prior est et formalior qui est ad id, cui est obediens, quam qui ad id, quod exequitur; cum iste quod exequitur, ex obedientia et subiectione ad primum exequatur, et non e converso. In aliis autem potentiis non obedientialibus prius est ordo ad effectum, cujus est potentia, et si ordo iste sit agentis inferioris, in eo quod inferior respicit auxilium superioris, supponit enim potentiam jam respicientem effectum. Si ergo potentia obedientialis respicit prius id, cui obedit, quam id, quod exequitur, manifestum est quod prior est passiva, quam activa: respectu enim ejus, cui obedit, activa esse non potest, sed passiva. Dicimus ergo, et quod quantumvis potentia obedientialis sit realis et positiva, tamen respectu ejus, cui obedit, quod est præcipuum in potentia obedientiali, non est activa, sed passiva, et ideo repugnat, quod in quantum obedientialis, positivum ordinem dicat ad effectum, sed debet ordinem dicere ad agens, cui obedit, et mediante communicatione superioris agentis, respiciet effectum exequendum, et sic non potest dari potentia activa obedientialis, sed passiva: tunc autem fiet activa obedientialis potentia, quando communicatur ei virtus a superiori agente.

CDLXXV. Secundo respondetur ad antecedens, quod potentia obe-

dientialis non est sola non repugnantia, sed realis et positiva potentia, distinguo; est realis ac vera potentia, materialiter et entitative, concedo; formaliter et secundum ordinem formalem, nego. Potentia enim obedientialis dicit quidem entitatem; in quantum vero creata est, obediens est creatori, non tamen dicit formalem proportionem cum actu, vel forma supernaturali, sed solam non repugnantiam, ut creator faciat de creatura quod voluerit. Unde licet anima recipiat realiter gratiam, et habeat realem capacitatem ejus entitative et materialiter, non tamen formaliter. Ut enim recipiatur aliqua forma realiter in aliquo, sufficit quod sit realis entitas non repugnans susceptioni ejus, non tamen requiritur quod inclinet in illam formam, imo etsi repugnet secundum aliquam peculiarem formam, aut rationem, si tamen in ratione subjecti et substantiæ non repugnat, suscipi potest, ut patet in eo quod violenter recipitur in aliquo subjecto.

CDLXXVI. Et ad id quod dicitur, quod gratia pendet physice in genere causæ materialis ab anima, ita verum est, sicut argumentum probat; non tamen inde concluditur, quod hæc potentia passiva formaliter sit quid positivum, sed solum entitative et materialiter, quia ut aliquid pendeat physice ab aliquo subjecto in genere causæ materialis, sufficit quod entitas a qua pendet, sit realis et physica, quamvis inclinatio aut proportio ad talem formam physica non sit. Cujus ratio est, quia causa materialis non causat emittendo ex se effectum, sed recipiendo et sustentando, et per unionem et conjunctionem formæ ad se. Ut autem forma aliqua jungatur suo receptivo, sufficit quod tale receptivum sit entitas realis; sic enim ei uniri

potest realiter, et in unione hac realiter pendere ab eo; et ideo licet non sit proportio et convenientia inter formam et materiam positive et formaliter, est tamen negative et obedientialiter, quia videlicet non est repugnantia in subjecto, et est entitas realis, a qua realiter pendere potest in unione sua; et sic est sufficiens requisitum, ut physice et in genere causæ materialis ab anima pendeat, et ut ex potentia ejus obedientiali realiter educatur, si quidem ut pendens in genere materiali ab anima quoad suum esse, producitur, et ut compositionem realem faciat ex actu et potentia, tamquam ex forma et subjecto, quia realis unio inter ipsa intercedit, si quidem realem et physicam entitatem dicunt.

CDLXXVII. Ex quo fit, quod potentia obedientialis, neque est facultas aliqua, seu reale aliquid superadditum creaturæ, nec gradus aliquis ipsius naturæ, saltem ratione distinctus, aut aliquid congenitum creaturæ, quod aliquo modo ab illa distinguatur; sed ipsa ratio creaturæ, ut supremo modo subjecta creatori. Quidquid enim creatum est, eo ipso quod creatum est, perfectissimo modo subjicitur creatori; esse autem creatum non est aliquid distinctum a creatura, vel ei superadditum, neque gradus ejus, sed quid transcendentaliter imbibitum in creatura; et similiter obedientialis potentia est transcendentalis ista subjectio in omni entitate creata, eo quod creata est, imbibita.

CDLXXVIII. Ad primam confirmationem respondetur, distinguendo minorem; non implicat Deum uti creatura active activitate communicata a Deo, concedo; antecedenter ad usum Dei circa creaturam, nego, quia ante usum Dei non antecedit in creatura activitas, et ordinatio ad effectum supernaturalem, sed

ordinatio ad Deum agentem infinitum, quæ ordinatio passiva est: implicat ergo quod ante usum Dei circa creaturam præsupponatur activitas in ipsa, et ordinatio activa ad effectum; sed præsupponitur ordo ad Deum, qui est positivus, ut utatur creatura sive ad agendum, sive ad recipiendum. Hæc autem implicatio ex parte creaturæ consistit in eo, quod potentia obedientialis non consistit in aliqua virtute, aut proportionem cum effectu supernaturali (sic enim jam non esset solum potentia obedientialis, sed formalis) sed consistit præcipue in ordine ad agens, cui obedit, et subjicitur; et mediante determinatione talis agentis respicit effectum, aut potentiam, ad quam ab ipso ordinatur. Ante talem vero ordinationem seu determinationem agentis, non respicit potentia obedientialis formam, aut actum supernaturalem, sed agens; repugnat vero esse potentiam obedientialem, et quod antecedenter ad usum agentis, cui obedit, respiciat active effectum.

CDLXXIX. Ad secundam confirmationem respondetur, quod Deus non utitur instrumento, ut recipiat præcise, et sistendo in receptione, sed ut recipiat ad agendum; non tamen subordinatur, ut jam in se agens inchoative et imperfecte, quia instrumentum et causa principatus non comparantur, ut causa imperfecte, et perfecte agens; sed instrumentum comparatur ad agens principale, ut causa nihil ex se habens activitatis, communicans tamen in activitate agentis per intentionalem ejus participationem. Sic ergo quando dicitur, quod instrumentum non subordinatur Deo, ut causa materialis et receptiva, distinguo; ut materialis, et receptiva in ordine ad communicationem in activitate cum causa principali, nego, ad hoc enim in potentia passiva est; et ante

receptionem talis communicationis, nullo modo in activitate est ad effectum; et ita non subordinatur ut agens imperfectum respectu perfecti, sed est in potentia ut recipiat, non formam informantem, sed activitatem agendi; et ideo utitur Deus instrumento, non ut recipiat præcise et pure, neque ut agens, sed ut recipiens ad agendum, seu ut recipiens id, quo agat, quia ex se id non habet, sed ex communicatione cum causa principali; et sic non debet in se antecedenter ad elevationem habere potentiam activam, et inchoatam in ordine ad effectum supernaturalem: imo si quam potentiam activam habet, respectu tamen effectus supernaturalis nullo modo est in actu primo et activitate, nisi quando elevetur, et non ante.

CDLXXX. Ad id quod dicitur de instrumentis artium, quæ subordinantur artifici ut causæ effectivæ, et non ut formales, aut materiales, respondetur, quod subordinantur ut causæ effectivæ, præhabendo ex se activitatem ad effectum artis, nego; suscipiendo illam in elevatione artificis, concedo: et sic talis subordinatio in genere causæ effectivæ non est in genere causæ effectivæ pure et simpliciter, sed effectivæ ex consortio et conjunctione, ac derivatione a causa principali, quod est esse effectivam secundum quid, et dependenter ab alio, et supponendo prius in se potentiam passivam et materialem ad virtutem effectivam suscipiendam; non autem præsupponendo efficientiam, quæ perficiatur per elevationem, sed quæ in integrum et totaliter per eam efficiatur. Unde sicut creaturæ subordinantur Deo, ut entia realia existentia, et non ut nihil; non quia ante istam subordinationem habeant existentiam, sed quia per istam subordinationem eam habent, et ut fiant, subordinantur

Deo; sic instrumenta subordinantur ut agentia, non quia ante istam subordinationem agentia jam sint, sed ut per subordinationem agentia fiant.

CDLXXXI. Ad tertiam confirmationem respondetur negando consequentiam. Et ratio diversitatis est, quia antecedenter ad elevationem supponitur potentia cum respectu et subjectione ad elevantem, ut ei obediat; non tamen cum ordine et respectu positivo ad actum, seu effectum; unde cum respectu elevantis, cui obedire debet, non se habeat active, habere se debet passive, et sic respectu ejus salvatur sufficienter potentia passiva per non repugnantiam, non autem salvatur respectu ejus potentia activa, sed solum respectu actus, seu effectus. Cum autem potentia obedientialis primum et immediatum ordinem dicat ad Deum, cui obedit, et respectu cujus potentia obedientialis est, et mediante eo respiciat formam aut effectum passive, vel active, hinc est quod potentia obedientialis ut sic, in suo primario et immediato respectu passiva potentia sit, licet intra genus positivæ hujus potentiæ quædam ordinentur ad agendum aliquem effectum, quædam ad recipiendum aliquam formam. Et sic Deus supponit solum in creaturis non repugnantiam, seu potentiam passivam obedientialem, respectu sui, deinde positive illas inclinat et movet, quasdam ad agendum, quasdam ad patiendum.

CDLXXXII. Quare ad argumentum dicitur, quod creaturæ possunt obedire Deo et in agendo, et in recipiendo; et quod ad recipiendum supponitur potentia passiva respectu Dei, cui obediunt; non tamen supponitur potentia activa respectu ipsiusmet Dei, in ordine ad quem potentia obedientialis sumitur, et ideo respectu Dei omnis creatura

subditur sine potentia activa obedientiali; respectu autem ejus ad quod ordinatur a Deo, quædam passive ordinantur, quædam active; et in hoc est differentia in his potentiis obedientialibus, non quod antecedenter ad motionem et usum Dei aliquæ dicant respectum et ordinem formalem ad actum efficiendum, aliæ ad formam recipiendam, quia antecedenter ad motionem Dei nulla creatura dicit ordinem ad actum et formam, sed solum ad Deum, cui debet obedire; et sic per ordinem ad formam vel actum non est distinguenda alia potentia obedientialis activa, alia passiva; sed radicaliter et remote quædam dicunt ordinem ad Deum cum non repugnantia ut eleventur ad agendum, quædam cum repugnantia ut eleventur ad agendum; cum non repugnantia tamen ut eleventur ad patiendum.

CDLXXXIII. Et in hoc fateor esse aliquam distinctionem, antecedenter ad motionem et usum Dei; non tamen ex ordine passivo aut activo ad formam vel effectum, sed ex ordine obedientiali ad Deum sumitur potentia obedientialis cum repugnantia vel non repugnantia ad unum aut aliud; quæ tamen non repugnantia ad agendum vel patiendum non constituit rem in actu primo ad agendum; et ideo de hoc in præsentem non inquirimus.

CDLXXXIV. Tertio arguitur: Actus potentiæ vitalis aut liberæ, qui sunt supernaturales quoad substantiam, necessario supponunt potentiam obedientialem activam in elicendo illos: ergo non repugnat dari talem potentiam activam obedientialem, nec est cur negetur in instrumentis. Consequentia probatur, nam actus vitales magis dependunt a principio intrinseco et connaturali, quam actus instrumenti ab instrumentis: ergo si hoc non

obstante pendent a potentia obedientiali activa, etiam in instrumentis non repugnabit quod pendeant ab illis mediante potentia obedientiali activa.

CDLXXXV. Et præterea, quia potentia vitalis respectu actuum supernaturalium instrumentaliter se habet, sive operetur cum auxilio extrinseco, sive cum habitu, nam potentia vitalis nequit virtute sua propria influere in substantiam actus supernaturalis, ac per hoc nec physice illam attingere, cum sit extra totam latitudinem talis virtutis: et quod attingatur vitaliter aut libere, non facit virtutem potentiæ esse proportionatam cum substantia illius actus; et ita impossibile est, quod attingatur essentia et substantia talium actuum instrumentaliter, et vitalitas ipsorum principaliter, cum vitalitas pertineat intrinsece et imbibatur in entitate actus, nec possit attingi essentia physice, nisi vitaliter attingatur.

CDLXXXVI. Neque etiam potest vitalis potentia attingere substantiam actus supernaturalis virtute obedientiali; tum, quia hæc apud nos non est activa; tum, quia si potentia obedientialis est sufficiens virtus ut sit causa principalis, cur non in aliis creaturis non vitalibus erit sufficiens, ut sit causa principalis, cum etiam eleventur ad efficiendum aliquid intra idem genus, verbi gratia, intra genus qualitatis, sicut per propriam virtutem poterant.

CDLXXXVII. Nec denique vitalis potentia attingit ut causa principalis actum supernaturalem per virtutem sibi supernaturaliter additam; tum, quia actus ille non elicatur solum a qualitate supernaturali superaddita potentiæ vitali, sed etiam ab ipsa potentia, cum impossibile sit pendere actum vitalem a

sola qualitate extrinsecus adveniente: ergo respectu elicentiæ quam potentia habet, instrumentaliter se habebit; tum, quia ut causa dicatur principalis, oportet etiam quod agat virtute propria proportionata ad effectum, vel eminentiori quam effectus: ergo etiam oportet quod agat virtute sibi connaturali; si enim virtute connaturali non agunt, solum agunt virtute alterius sibi communicata, quæ est instrumentalis: ergo causa quæ non agit virtute connaturali, non agit virtute principali, sed instrumentali.

CDLXXXVIII. Antecedens autem argumenti principalis probatur, quia actus supernaturales non possunt effective manare a sola qualitate superaddita, præsertim quando eliciuntur actus supernaturales sine habitu, ut in elicente attritionem, vel ultimam dispositionem, secundum quod antecedit gratiam: ergo oportet quod effective manent a potentia, alias vitales non essent illi actus aut liberi: ergo supponunt activam potentiam, et non solum passivam, in ipsa potentia elicente; hæc autem activitas naturalis non est, cum tota entitas actuum supernaturalium excedat latitudinem activitatis naturalis, neque ab ea effective possit manare: ergo debet esse activitas obedientialis.

CDLXXXIX. Respondetur negando antecedens argumenti principalis; et deinde etiam negando consequentiam. Ad probationem antecedentis dicitur, quod actus supernaturales manant a sola qualitate supernaturali, ut a ratione agendi, et virtute potentiæ, non ut a radice et potentia; et ita actus supernaturalis effective est a potentia, non ut condistinguitur a qualitate supernaturali, sed ut induit illam tamquam virtutem agendi, elevantem ipsam radicem et vitalitatem poten-

tiæ. Itaque non comparantur qualitas et potentia vitalis, sicut activitas et activitas ad eliciendum actum supernaturalem, sed sicut potentia et activitas potentiæ elevans ipsam ad ordinem superiorem agendi; non quia extendat activitatem potentiæ, sed quia novam et distinctam activitatem ordinis superioris ei præbeat; et ideo habitus supernaturales non se habent solum ut adjuvantes potentiam, sed ut præbentes potentiæ rationem agendi, et rationem potentiæ supernaturalis; ita quod ipsa potentia et radix agendi supernaturalizatur, ut sicut mediante activitate sua naturali agebat naturaliter, ita mediante activitate supernaturali agat supernaturaliter; et ita actus manat a potentia et a qualitate supernaturali, sed non ut a distinctis activitatibus, sed ut a potentia et activitate potentiæ in ordine superiori. Et sic nec ab activitate naturali, aut obedientiali potentiæ manat ille actus, sed ab activitate supernaturali illi potentiæ infusa, ut per eam supernaturaliter agat, sicut per suam virtutem naturaliter.

CDXC. Nec obstat, quod sine habitu aliquando operetur; tunc enim non sine auxilio divino recepto in potentia, non ad modum habitus, sed ad modum dispositionis operantur potentiæ, et ultima dispositio secundum quod est consummata et completa, procedit ab habitu charitatis, a quo formatur, seu perficitur; ut autem imperfecta adhuc consideratur, et ratione dispositionis, quasi in fieri, procedit ab auxilio.

CDXCI. Ad consequentiam autem argumenti dicitur, quod actus vitales pendent a principio intrinseco, sed non oportet quod virtus et ratio producendi sit etiam ab intrinseco, sed sufficit quod ab extrinseco sit addita illi potentiæ, ut ex potentia et virtute fiat unum principium vi-

tale ordinis supernaturalis; non autem quod a potentia aliqua activa, non supernaturali, formaliter procedat et dimanet ille actus: in instrumentis autem, licet non pendeat a principio intrinseco effectus, aut a virtute intrinsece supernaturalizante, pendet tamen ab activitate, qua constituatur in actu primo proportionate, et apte cum effectu producendo, et ideo non per activitatem obedientialem sibi inditam, sed per motionem causæ superioris debet activitatem instrumentalem habere.

CDXCII. Ad aliam probationem respondetur, quod illa convincitur Suarez 1 tom. III part. disput. III, sect. VI, in solutione quarti argumenti, ad asserendum quod potentiæ vitales, quantum ad id, quod conferunt in efficiendis actibus supernaturalibus quoad substantiam, se gerant ut instrumenta divinæ gratiæ, et non ut principia principalia; neque repugnare, quod agant vitaliter et instrumentaliter, nec quod libere et instrumentaliter, quia vitaliter procedere actum, est solum procedere a proximo et radicali principio vitæ, sive illud principium connaturaliter et principaliter influat in actum, sive non connaturaliter, sed instrumentaliter. Libere enim procedere actum inquit, eo ipso quod potentia potest non elicere actum, sed suspendere; et hoc salvatur etiamsi instrumentum eliciat, dummodo non ut inanime, neque ut necessitatum eliciat, sed taliter quod possit non elicere, quia videlicet sic elevatur ad eliciendum actum supernaturalem, ut non privetur virtute propria ad suspendendum influxum, vel eliciendum actum contrarium, qui naturalis erit; sic Suarez.

CDXCIII. Cæterum nullo modo admittenda est hujusmodi sententia, cum sit omnino contra rationem

potentiæ vitalis, ut in eo, quod vitaliter operatur, operetur ut instrumentum: unde ex hoc præcipue compulsi sunt Thomistæ admittere habitus supernaturales infusos, et tamquam formas inhærentes potentiis, ut haberent potentiæ principia, quibus tamquam causæ principales operentur: dato vero quod solum instrumentaliter operentur, ruit fundamentum ponendi hos habitus, cum sufficiat ad id communicatio Dei actualis per auxilium suum, quoties operari debent potentiæ; sicut sacramenta, quæ instrumentaliter operantur, solum per communicationem actualis auxilii et motionis instrumentaliter operantur, neque indigent habitu aut qualitate sibi superaddita: ergo similiter potentiæ vitales, si operarentur instrumentaliter, etsi vitaliter, non indigerent qualitate sibi superaddita, sed solum actuali auxilio.

CDXCIV. Et præterea, quia omnis causa quæ agit per formam, cui assimilatur effectus per se, et non per accidens, non agit instrumentaliter, sed principaliter, si quidem agit per formam proportionatam effectui, ita ut sit ejusdem, vel eminentioris ordinis cum effectu; sic enim connaturalis est effectui et actioni, non autem requiritur quod connaturalis sit etiam subjecto; alias omne subjectum, quod per qualitates sibi non proprias, sed extraneas operatur, instrumentaliter operabitur; sicque solum esset causa principalis alicujus effectus, quando qualitates activæ sunt propriæ subjecti passiones, quod est absurdum. Qualitates autem supernaturales impressæ potentiis, sunt formæ, quibus actus supernaturales assimilantur, et connaturales illis actibus, ac proportionatæ, sicque per illas potentiæ non instrumentaliter operabuntur, sed principaliter.

CDXCV. Ac denique, quia poten-